Digitized by Google

BLASII IAQVOTII ICti. VESONTINI ET IN ALMA PONTIMVSSANORVM ACADEMIA IVRISPRVDENTIÆ DECANI ORATIONES ACCEPTI MVNERIS AVSPICES DVÆ.

AD SERENISSIMVM POTENTISSIMVMQVE PRINCIPEM

CAROLVM IIII.

LOTHARINGIÆ ET BARRI DVCEM.



PONTIMVSSI,
Apud IOANNEM APPIER HANZELET,
Sereniſs. DVCIS & Vniuerſitatis Typ.
& Sculptorem Iuratum. 1625.

Digitized by Google

SERENISSIMO

POTENTISSIMOQ; PRINCIPI

CAROLO IIII.

LOTHARINGIÆ DVCI.

BLASIVS IAQVOT,

D. N. M. Q. E.

PIETATE & iuſtitia Principes fieri Deos, magno auunculo Cæſare maior Auguſtus nepos præclarè dixit; ſi enim proborum tutela & ornamento iuſtiſque nocentum ſupplicijs diuinæ potentiæ munus abſoluitur, quis alius inferri cœlo, quis indigetari Princeps poteſt, quàm qui amorẽ inter & odiũ, inter ignauam lenitatem, præruptamque ſæuitiam, pietatis & iuſtitiæ poſitis artibus, magnitudinis ſuæ autorem Deum æ-

Digitized by Google

mulatur? Ex quo te florentiſſimi Principatus gubernaculis, publica felicitas admouit, (SERENISSIME DVX) *virtutis vtriuſq; partes ſic amplecteris, munia ſic vſurpas, vt prope vereri poſſimus, ne mẽtibus noſtris diuinitatis irrepat obliuio, poſtquàm nobis ex pietatis tuæ iuſtitiæque fontibus vbertìm affluit, quidquid ab ipſo Numine ſperant petuntque boni; quidquid improbi pertimeſcũt; Nec vero ditionis tuæ finibus tanta bona circumſcripta ſunt, ſed tàm conſpicuis in te dotibus, externorum principum lenocinatur affectio; & virium ſuarum molem probaturi Reges, ad partium æquitatem & victoriam id vnum expetunt, vt tàm pij iuſtique Ducis conſortio fulciantur; ita vt ambigi nequeat, non ſine te ſeruari Chriſtianum Orbem, qui te refragante perire non poteſt, aut conſilio tuo arma poſituros, qui niſi ſocio pugnare nolunt; æternis votis hoc à te beneficium ambiant expectentq;* (POTENTISSIME

Digitized by Google

PRINCEPS) *& amicitiæ tuæ vim tanto ſibi magis colendam captandamque putent, quod neque emi neque cogi poſſit; gratulabitur tibi pacatori ſuo quietus Orbis, & Cæſare Pompeioque tumultuantibus cum Poëta vetere acclamabit*

——————— ſola futuri
Craſsus adeſt belli medius mora, qualiter vndas
Qui ſecat, & geminum gracilis mare ſeparat Iſthmos.

Quod ſi Regum maximi Celſitudinem tuam accurata æmulatione ſibi conciliant, nihil vnquam reperiet priuatæ affectionis ingenium, quo religionem erga te ſuam, non prorſus indignis argumentis teſtari poſſit; mihi tamen Optimi Maximiq; Ducis Henrici parentis tui munere, mox etiam tuo, primarium in Pontimuſſanæ Iuſtitiæ templo ſacerdotium obtinenti viſum fuit, inter acceptæ dignitatis auſpicia meditatas à me aut effuſas Orationes, tibi non indè-

corè poſſe conſecrari, tum quia Pietatem atque Juſtitiam venerantur Celſitudini tuæ familiaria & agnata numina, tum quia me tibi ſupplicaturum decuit, modeſto ſacrificio prius exhibere cultum, quàm comptis auratiſque victimis opulentiam iactitare.

Digitized by Google

BLASII IAQVOT IC[ti].
VESONTINI ET IN ALMA PONTIMVSSANORVM ACADEMIA IVRISPRVDENTIÆ DECANI DE ORIGINE IVRIS ET MAGISTRATVVM
in ipſis dignitatis auſpicijs,
habita Oratio.

SICVT ingentium fluuiorũ caput intimumque fontem decrementa auctuſque multiplices, ita dicẽdi condendique iuris, & ſortitione vel tabella ducendorum legendorumque magiſtratuum originem , progreſſus, mutationes, principum ingeniorum curioſa felicitas pridem veſtigauit; nec inſignes viros aut refellere aut referre placet, quibus in exquirendis

Digitized by Google

legum iuſtitiæque cunabulis ingenij proferendi quàm veritatis eruendæ cura maior fuit;attamen Septimij Cęſaris educatori Quæſtorique prudentiſſimo nequaquam aſſentior,ius omne aut volentis iubentiſque Populi conſenſione factum,aut conſtitutum neceſſitate , aut inductum moribus, aſſerenti ; liceat ergo potentiæ ſibi conſulentis arbitrio atque libidini, regias Modeſtino duce vendicare leges,conſularia iuſſa reſtitutę quidem, ſed peiore mox fato interituræ libertati , Dictatorias ſanctiones , publicæ ſalutis vltimo conclamatoque diſcrimini ; plebiſcita turbulentis Populi Patrumque diſſidijs , Cenſoriæ ſeueritatis notas mulctaſque graues , aut rapacitati publicæ , aut ſcortatorum ganeonumq; moribus exolutis ; Decemuirales Tabulas gliſcentium negociorum criminumque immenſæ

moli; ſenatuſconſulta plenis ciuium domibus confertiſque familijs; edicta Prætorum Iuris ciuilis vel penutiæ vel rigori; Reſponſa prudentum aut litigatorum verſutiæ, aut inter aſpera & ambigua præcipuæ ſemper æquitati; Principum placita dominationis ingenio, quæ in rogandis abrogandiſque legibus, dignitati ſuæ ſecuritatiq; potius quàm priuatorum moribus & emẽdationi proſpectum cupit. Tot quidẽ Regũ tot magiſtratuũ potentumque ſcita, inueteratæ conſuetudini, temporum caſibus populique ſuffragijs adſcribentem Modeſtinum lubens amplecterer, niſi Romanæ prudentiæ conſtantiæque parens Traſea Pætus, ipſo Nerone ſenatuque probantibus pridem cenſuiſſet, quidquid vſquam inductum ſancitumque iuris eſt, ex mortalium virtutibus ſceleribuſque prodijſſe. Cum

enim paulatim verſis ad iniqua mentibus, exuta prorſus æqualitas, non modo benè agendi faſtidium ſed delinquendi cupidinem attuliſſet, prioris extra modeſtiæ fines timidè adhuc & latenter, mox ruptis habenis euagante licentiâ, congruum prorſus ac neceſſe fuit, ex culpâ pœnam, ex benemeritis præmiũ, ex delictis emendationem, ex nocendi peccandique more caſtigationem deriuari; ſic delatorum caluitorumque prauis artibus laceratam innocentiam Remmię legis infamia, ſic aduocatorum fœdas pactiones & ſordidati clientis in periculi metu prodigam ſemper inconſultamque facilitatem, Cincia rogatio, ſic priuatorum opibus inhiantem magiſtratuum auaritiam Calpurnia ſcita vindicarunt: adeo vt ſicuti deformi quondam & indigeſtæ rerum omnium moli & aceruo totius

Digitized by Google

naturæ, quàm abſoluta excultaque eſt, debetur amœnitas, ſic humanę prauitati gratulari poſſis, ex qua tot egregiarum legum, tot inſignium exemplorum nata pulchritudo. Atque vtinam pœnarum præmiorumque expers humanum genus, prǫualida vbique virtute ignotiſque vitijs carere legibus potuiſſet, neque Dei præpotentis æquiſſimum imperium auerſati, æqualium ſæpius deteriorumque dominorum iuſtis iniuſtiſque placitis obſequi cogeremur; verùm ſicuti flexis ad praua moribus proborum neminem non dolere grauiter contigit eouſque mentis humanæ peruaſiſſe malitiam, vt fœda quęque cum metu aggredi, quàm honeſta cũ præmio & ſecuritate promptius foret, ita neminem quoque non effuſiſſimè gratulari, cogentibus vndique vitijs eò pertigiſſe prudentiam

vt nocentum fraudibus legum æquata ſeueritas non modò præſentibus opponeretur, ſed futura præueniret; mortalium ſiquidem vetuſſimos ſine probro & ſcelere, atque adeò ſine pœna & coercitionibus egiſſe liquet, cumque ſuomet ingenio ad honeſta pronos & faciles nudæ virtutis amor venuſtaſque pelliceret; inter innocentiſſimos flagitioſus ille fuit, non qui faceret illicita, ſed benè ad agendum precio duceretur, aut pœnarum metu inhoneſtis abſtineret; quanquam nihil contra morem cupientibus nihil per metum prohibendum fuit; ſed recenti adhuc & primùm inuecta dominatione, Regum optimorum vna ſollicitudo, vnum munus erat in communi cœtu indiſcretaque frequentiâ paucas aliquot proferre leges, non quæ malè acta caſtigatione reprimerent, ſed benemerita lau-

Digitized by Google

datione comprobarent, verùm rudis innocentiæ ſimplicitate iam moleſtâ, & ſenſim dilapſis ad turpia gentibus in occulto quiſque peccare primùm; veri criminibus falſæ virtutis nomen obtendere, dein vt bonorum ſic improborum ſocietate facillimâ, in partem & conſcientiam per exemplum trahi plures, aſſentiri callidioribus, impellere dubios, prioris æqualitatis iactare bona, dominationem criminari, donec inter obſequentes adhuc & innoxios, contumacium ac deteriorum natâ manifeſtáque ſimultate, inter infẽſos odia, cędes, iniurię, mox iniuriarum vindices leges, & vltricia Potentum placita naſcerentur; quos cum vel accepta vel occupata dignitas, mutationis & inſidiarum continuo metu ſic percelleret, vt vnius ſui capitis tutelam & ſecuritatem, vel cõmuni omnium ſubditorum excidio

paratam vellent , propriam contrà vim atque perniciem iam ſatis armata collectaque dominatio, priuatorum defenſioni ſtudiosè adeò prudenterque conſuluit vt regnantium quilibet, iam procul à ſe remoto diſcrimine, ſecurus ſui & tunc demum aliorum ſollicitus, vicariæ legum magiſtratuumque poteſtati, admiſſorum criminum executionem delegaret; quamuis enim nouum imperium inchoantibus amorem ſimul & reuerentiam, lenitatis clementiæque famá conciliet, ac principum cruenta primordia, non minus quam Solis orientis opacum tetricumque lumen, vulgus execretur, æternæ tamen potentiæ ſeruitutiſque conditorem video Romulum, quæ ipſe malefacta, regio iure aut iubet aut vetat, eorumdem culpam in priuatæ ſortis hominibus, per diſpoſitos ſatellites exe-

Digitized by Google

quentem; tunc patre iudice arbitroque patriæ poteſtatis defenſa maieſtas, parique impunitate necati liberi qua ſuſcepti; tunc ſuſpicacium maritorum animis & vltioni, venuſtarum coniugum expoſita permiſſaque facilitas, & domeſtica quidem ſed mortali plerumque pœna, vnius oſculi breuitas expiata, & minoribus externiſque reis, ex Principis pietate nulla ſpes, proprij fratris innocentem laſciuiam, nocentiſſima morte punientis, ſed quia ciuili ocio vel pacis artibus, minui raro ſolet, quæ licentia bellorum adoleuit improbitas, feroci adhuc poſt arma Populo, bella nunquam experti Principis autoritatem imparem Numa ratus, in deteriora lapſam Ciuitatem validâ ſemper ad modeſtiam ſuperſtitione retinuit & reſtituendis moribus, ſalubrius adiumentum tutiuſque fuit, contumaci-

Digitized by Google

bus adhuc animis, ignotorum numinum commentitiam aut abſentem maieſtatem obijci, quàm imminentium pœnarum quotidiano vſu efficere, vt credere quiſque poſſet, non ad ciuium exemplum aut emendationem, ſed regium decus ac terrorem præmia & pœnas irrogari; adeo difficile atque moleſtum eſt, prauis aſſuetam reuocare plebem, vt diſſimulare quàm exequi plerumque ſit melius, & illicitorum cupidinem adulterinæ fortitudinis imago promoueat, dum pleriſque vile aut indecorum eſt, abſque præſenti metu aut periculo deliquiſſe. Poterat equidem pij togatiq; Regis verſuta ſanctitas, ocioſa innoxiaque pace delinitam, & Deorum cultu Regumque metu repreſſam plebem priorem intra innocentiam cõtinere, verùm vna cum ipſo Principe repertæ primum inductæque religionis,

Digitized by Google

ligionis, vaneſcente memoria, ciuilem inter deſidiam, & nondum validas fictitiorum numinũ ſuperſtitiones veteris licentiæ bona diu meditata nequitia, reſurgentium bellorum interruptam libertatem, flagrantius arripuit, & quam nondum Vrbem, pellendæ obſidioni foſſa vel murus ambierat, in ea prius ad expugnandam prauitatem, autore Seruio, iàm tum ad pœnam nondum cuſtodiam, carcer inſtitutus; adhuc tamen ab auita rectitudine prope aberant, quanquam nocentes clauſique rei, quibus ad pudorem & pœnitẽtiam ſatis erat bonorum ciuium cœtu intra breue tempus abdicari; adeò vt illius ſæculi mores cum poſteriorum temporum colluuione reputãtibus componentibuſque mirari, miſerari, exclamare neceſſe ſit,

Digitized by Google

Felices proauorum atauos, felicia multum
Sæcula, quæ quondam ſub Regibus atque Tribunis
Viderunt vno contentam carcere Romam;

Ex quo enim ſubactarum gentium tranſmiſſis in Vrbem opibus atque flagitijs, longo bellorum vſu durata virtus elanguit, veterem parſimoniam peregrini luxus corrumpente deſidiâ, rerum magnarum oppreſſi conatus aut imminuti, & ocioſa prodigentia domi cõſumptum eſt, quidquid apud exteros periculis & induſtria paratum erat; donec felicitatis ſuæ põdus & ſaginam vix paſſa Reſp. oblita iuris, ignara ſui, acrioribus legibus ac remedijs indigeret. Placet ergo illam dominatricem gentium, ſed nequitiæ ſuæ famulãtem, mecum inire ac luſtrare Romam? patet Curia, recluſum eſt forum, aperta roſtra, poſtquam in Orbe toto nihil pere-

Digitized by Google

grinum eſt, ſed Antonini Cæſaris cōſtitutione pluſquam optima, Ciuitate donati omnes ſumus, & Vrbis factum quidquid erat Orbis; hoc iure Curiam ingredi & Conſulem ipſum ſpectare datur, iam tùm ad exemplum & modeſtiam nihil proficiente potentum ſupplicio, etiam poſt punitos Reges, priuatorum maleficia caſtigantem; video faſces & lictores prius honori, nunc terrori comparatos; & ipſius Conſulis illuſtre quidem ſed truncatum imperium, dum nocentiſſima capita prouocationis effugium damnationi ſubtrahit, pœnarumque arbitro Populo, tutior eſt inter delinquendum reorum improbitas, quàm inter iudicandum conſularis integritas. Dictatoris illinc perennis gladius, ſed poteſtas ſemeſtris occurrit, cuius vis & ſeueritas, quāquam regiæ propior, delinquentibus ta-

men minus pœnæ quàm terroris infert, dum priuatorum criminum cognitionem prætérit, extremis tantum Reip. caſibus occupata; inde Cenſorum ſupercilium & adductæ frontis auſtera ſpecies obuerſatur, quorum indefeſſa quidem ſollicitudo, & nepotum abligurritorumque vitæ intenta cuſtodia, veterem continentiam & frugalitatem reuocare poſſet, niſi moribus corrigendis plus auaritiæ quàm rigoris impenderent, & in exigendâ pœna minus apud ipſos noceret patrati criminis atrocitas, quàm patrimonij amplitudo: neque tamen aut Conſulum maieſtas, aut Dictatoris imperium, vel Cenſorum ſeueritas obfuit, quin nocentum audaciam ipſa magiſtratuum pœnarumque varietas intenderet, & contra vim legum atque prudentiam erudita prauitas, vetita facere dedignaretur, vt

nec dùm vetita perpetraret, iam enim Triumuirûm capitalium virgas & ſecures, nocturnorumque diurnorumque criminum caſtigatio conſumpſerat, cùm naturę familiarumque ſacris euerſis, in locum ferri ſucceſſit culeus, & difficilius creditum quàm patratum crimen Quæſtores parricidij nouo tunc primùm parique ſupplicio punierunt; quod ſi tam corrupta peſtilenſque Ciuitas, quam in ſceleribus ipſis, parem quoque in ſcelerum pœnis excogitandis attuliſſet induſtriam, poterat adhuc apud poſteros veniam aut miſerationem mereri, ſed improbitatis ſuæ ipſis ab hoſtibus exquiſito ſupplicio, petitiſque per legatos duodecim Tabulis hoc aſſecuta eſt, vt non multo poſteà necatis Decemuiris, Tribunorumque militum abrogato iure, nec proprijs legibus poſſe viuere, nec alienis vti cre-

deretur; niſi quod peregrinorum atque ciuiũ mixtis inter ſe negocijs & vitijs, octo ſæpi⁹ & decẽ Prætorũ impedita iuriſdictio, videri poteſt corruptæ diſciplinæ non tam attuliſſe remedium, quàm feciſſe palàm, multiplicium legum & magiſtratuum numero, ſceleſtorum hominum potius indicari multitudinem quàm reprimi noxam, & ſicut ex pœnarum cõtemptu peccandi contumaciam, ſic honeſtatis amore, bonam frugem deriuari: adeo nouum eſt vt deprauationi morum medicinam faciant numeroſæ leges, à quibus dùm ventura quoque proſpici plerique vident, ea perpetrauere facinora quæ nondum admiſſa ſed iam prohibita fieri poſſe crediderunt; in hoc rerum æſtu concuſſa Reſp. iuris magiſtratuumque abiecta ſollicitudine, inter priorum temporum memoriam & futuri ſta-

Digitized by Google

tus cogitationem, ita fluctuabat, vt tot mutationum cladibus, tot dominorum varietate, ad conſtantiam vteretur, & peius aliquid impoſterum verita, pari cum ægrotantibus iactatione & tædio, regiæ potentiæ veteres ac iam toleratas iniurias, quàm nouæ dominationis incommoda, eò duriora quòd incognita ferre mallet; inde iam cognitum prius probatumque Dictaturæ nomen, ſpecioſa fraude induente ſeruitute perempta libertas eſt, mox Cinnanis Sullaniſque legibus prope factum, ne legi poſteà vel æquitati locus eſſet; inde iuris à ſe cõſtituti aſſertor idem ſubuerſorque Pompeius, legibus ijs obſequentem non diu potuit habere populum, quę licet ad autoris vſum ambitumque latæ, autori tamen diſplicebant; inde Dictaturæ finibus C. Cæſaris contenta magnitudo, quidquid ante iuris &

magiſtratuum ciuilia bella deſtruxerant, optimis legibus iuſtiſque Comitijs reſtitutum ibat, niſi occupatis imperijs nunquam apta lenitas obſtitiſſet; inde Triumuiralium tabularum proſcriptionumque vnà cum ipſis autoribus extincto iure, principatus molliore vocabulo, regiæ tandem dominationis tẽperatus rigor; & vnius ad legem ac imperium dilapſis iterùm rebus, peſſimis ſeruis non meliores domini obtigerunt. Nam cum ſuperſtes adhuc Cæſarum maieſtas timeri vellet, ac Deorum inſtar extincta coli, legum aut mortalium curam per ſe gerere ac ſuſcipere dedignata, regium magis ſecurumque duxit, magnitudinis ſuæ reuerentiam in vicaria magiſtratuum poteſtate experiri. Ac veluti superûm venerationem ac timorem, mentibus humanis, fulminum primo tempeſtatum-

Digitized by Google

que iniecit fragor, ita in magiſtratuū ſecuribus atque gladijs, Cæſarum ſublimitas & imperium ſic effulſit, vt Prætorio Vrbique Præfectis in paganorum militumque caput conceſſo iure, ipſi Principi diuinitatis famam metus adſtrueret, potentiæ ſuæ molem tam formidoloſo miniſterio ſuſtinenti Neque ſegniore cura aut mitioribus artibus, longinquarum gentium obſequio terrorique prouiſum eſt, cum diuiſis inter Cæſarem Populumque Prouincijs, hoſtibus ſuis propriæ ſeruitutis alimenta penderent deuictæ nationes, & ſtrepente vbique Tribunali, erectis virgis, ſublatiſque faſcibus, ad calculum Præſidis, ad tabulas Proconſulis, ad ſellam Procuratoris, abſentium dominorum præſentem potentiam, vitæ & patrimonij ſupplici diſpendio adorarent. Et verò, ne reptilium Deorum

ſacris & religioni aſſueta Ægyptiorum mobilitas, parendi neceſſitatem, pietatis ineptę ſimplicitate refugeret, Romanis legibus per Alexandriæ Iuridicum, armis vero per Præfectum Auguſtalem ſic addicta fuit, vt cœli ſolique ſui diuitijs, hoſtilem luxum ſæuitiamque ſaginaret, nec ſenatorio quidem, ſed equeſtri tantùm imperio coercita, à libertinis hominibus degeneris ſeruitutis iniurias & incommoda mercaretur. Ita compoſitæ Ciuitati domitiſque Prouincijs leges impoſuere, iura reddidere magiſtratus, quorum munus & poteſtatem qui calluerit, ille demum ſuſcepti à me de Iuriſdictione Capitis, explicationem aſſequetur; ardua prorſus & impedita prouincia, cuique vti par eſt obeundæ, quanquam ius dicentis, iudices dantis, addicentiſque bona Prætoris, officium per-

Digitized by Google

ſcrutari, Vrbanarum, Prouincialium, maiorum minorumque Poteſtatum diuidere munia, ius dicentium tribunal, datorum iudicum pedaneam cognitionem pronunciationemque ſecernere, priuatas à publicis, à duplicibus ſimplices, à ciuilibus prætorias actiones, mulctas à pœnis, meri mixti imperij, nudæque iuriſdictionis aſſignare ſpecies, explanare diſcrimina, veteris denique nouique Iuris & imperij paucis admodum cognitos receſſus penetrare neceſſe ſit; implicatiſſimo tamen munere, pari fructu & facilitate defungi poſſem, ſi fulgentiſſima huius Academiæ lumina imò Numina, ſi Gregorij locupletem peritiam, Barclaij floridam amœnitatem, Carpenterij veteranas dotes quàm prædicare & oſculari decet, tam liceret æmulari; quas virtutes ſiue ſingulas, ſiue vniuerſas, ſicuti

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

abſque impudenti vaniloquentia, mihi arrogare non auſim, ita nec citra proiectæ ignauiæ humilitatem deprecari, ab eo Principe lectus & accitus, cuius acerrimum iudicium vbique probat, Maximorum Regum inter artes æmulamque potentiam, abſque offenſione & periculo, æqua Lotharingia; pietatem, tot circum prophanis impijſque ſacris, ſarta tectaque religio; felicitatem, vegetæ viridiſque ſenectutis indeflexa maturitas; & nuper accenſis tota Europâ bellorum rebellionumque facibus, vnius propè Lotharingiæ inconcuſſa pax, illæſa fides; vnde fit vt exiſtimem veſtrum eſſe neminē qui mearum virium calculum à me iuſtius exigere, quàm ab optimo Principe gratiæ ſuæ benignitatiſque rationem velit; cum in tam pacata ditione, æſtimare quemque deceat, nō quem

aut quibus ex cauſis ſupra cœteros extollat Princeps, ſed ad ipſum, ſupremum rerum iudicium, ad ſubditos obſequij gloriam pertinere; quæ quod in modeſto ſilentio & nihil inquirenti facilitate poſita ſit, honores aut munera largientium Principum indagare mentem, anceps illicitumque eſt, quibus ne ſupplicia quidem pœnaſque decernentibus, abſque contumaciæ nota vix repugnes; de ipſorum poteſtate iuſtitiaque malignè ſentit, qui conſilium & optionem perſcrutatur; quidquid rerum arbitris placitum ſemel aut conſtitutum eſt tam probare priuatos decet, quàm quod vetitum, improbare: nec prætextatum adhuc aut viginti annis minorem Conſulem Roma repudiat, dum ætatis inſcitiæ & comitiali legi iudicium Cæſaris anteponit, neque in aliena contumelia, domini

Digitized by Google

prudentiam cauillatur; qua ex cauſa vnicuique veſtrum perſuaſiſſimum eſſe cupio, ab optimo Principe delatum honorem, non magis ſuſcipere me aut implere velle quaſi poſſim, quàm maximè poſſe quia velit; neque vereor, vt forēſibus caſtrenſibuſque negocijs intermiſſum iuris interpretandi munus, in contumeliam quiſquam detorqueat, quando ſicuti fertilium agrorum, ita & ingeniorum non ad ſterilitatis aut inertiæ mala, ſed pleniores prouentus, cultura ceſſat. Hac ſpe fiduciaque fretus, & optimi Ducis vocatu ſuffragioque validior iuſti legitimique Anteceſſoris partes aliquot, quâ publicè quâ priuatim, exhibiturū me fide mea iubeo, ſpondeoque; laborem quidem qualem Catoni placere video, nec cōtinuum nec remiſſum, mores nec adſtrictos nec ſolutos, acceptæ dignitatis abſ-

Digitized by Google

que demiſſione facilem, abſque impotentia grauem vſum, dictionẽ neque comptam neque ſordidam, nec prodigam copiam nec auaram breuitatem, puri putique iuris controuerſias enucleatas, cum antiquis acre certamen, modeſtam victoriam, & ſi quid ad rem pertinet, promptos aditus, obuiam comitatem quæ omnia daturum me traditurumque libens meritoque recipio, ſi vos nobiliſſimi vndequaque adoleſcentes, ad hoc Iuriſprudentiæ templum, ad hæc Iuſtitiæ ſacra, politioris litteraturæ ſapientiæque fontibus luſtratum animum adferetis; quodquidem promptum vobis eſſe nõ ambigo, in eorum Patrum gymnaſijs & ſocietate inſtitutis olim, aut etiamnum verſantibus, quorum pia eruditio & erudita pietas, tanto parata ſanguine, tot probata periculis, orientis occidentiſ-

que ſolis curſum anteuertit, nec aliò quam Orbis vtriuſque fine terminatur, neque minus auidè, laborem meum, vigilias meas, pari à vobis affectu repeſas rogo voueoq; ſi quid iuris dignitatem æſtimatis. Epicuri turpis illa vox vnum ſibi pro Populo, Populum pro vno iactitantis; latebras enim & ſolitudinem captat meticuloſæ ignorantiæ ruſticus pudor; lucem ac multitudinem ſecura virtus; & ſicut illuſtrium Vrbium pulchritudinem, ſic virtutis & doctrinæ formam ſolitudo deuenuſtat; facite ergo vt quàm ſollicitum me atque diligentem, in reſpondendo explicandoque iure habere vultis, tam ego vos habeam in audiendo & aſſiduos & frequẽtes; ſic excuder e ſic elaborare nitar, quæ tirones inſtruant & quæ placeant eruditis.

Dixi.

BLASII

BLASII IAQVOT
ICti. VESONTINI ET IN ALMA PONTIMVSSANORVM ACADEMIA IVRIS DECANI,

IVRIDICÆ CVRIÆ CENSORIA RECOGNITIO.

NEC diuini nec humani iuris eam obſcuritatem eas ambages cum debilibus & attritis ingenijs eſſe ſentio, neque rurſum cum felicibus opulentiſque mentibus eam clementiam aut facilitatem, vt illæ non niſi profuſa & luxuriante copia extricari poſſint, hæc vero etiam parca & ocioſa breuitate expediri: qua ex cauſa Iuſtiniani edicto lubens obſequerer, non ea quidem

Digitized by Google

parte qua Iuris ciuilis commentarios diſtrictè vetat, ſed qua eas tantùm interpretationes admittit quæ totidem ferè aut non pluribus multo verbis cõſtent quàm ipſæ leges quamquam vix eſt vt hæc ipſa edicti ſaluberrimi pars religiosè ſatis obſeruari queat, poſtquam ab antiquorum non minus ingenio & diligentia, quàm ætate receſſimus: dum imperitiam quiſque ſuam aliena & emendicata eruditione fulciri ſatis habet, vel ſimplicis expeditæque ſcientiæ puritas, deſidię noſtræ criminibus oneratur: atque vtinam quæ ſeptingentos ferè per annos, poſt vita functum Iuſtinianum, commentationibus gloſſiſque Iuriſprudẽtia intacta manſit, eadem quoque tam impolluta & elegans ad nos vſque perueniſſet; poſſemus vtique labore & ingenio quamlibet etiam mediocri, omnẽ iuris & æquitatis ex

ipſo capite ex ipſo fonte haurire peritiam, neque procertiſſimis prudentum oraculis tam iniqua quàm plerumque ridicula interpretum ſomnia irrepſiſſent; ſed quia puriſſimam emendatiſſimamque ſponſam tot Ægiſtorum adulteria ita polluerant, vt multis proſtituta ſęculis nec dotem oſtētare ſuā, nec vllibi virū ſortiri poſſet, ſtrenuiſſimi viros ingenij ſuperioris ſæculi felicitas dedit, quorum indefeſſo labore, eruditione caſtiſſima & amore vſque ad inuidiam felici, ſplendori ſuo & amœnitati iuriſprudentia reſtituta refloruit, ad maiorum verecundiam & vtilitatem poſterorum: Alciatum prius Italia, mox Bituriges colunt, ſed ſpiſſiſſimas adhuc Iuriſprudentiæ tenebras leui tantum & infirma luce perſtringentem. Inſtaurādo iuſtitię templo & eruditionis, & facundiæ plurimum glorianti-

tibus Belgis Balduinus impendit, ſed ignaua prorſus & inepta pietate, tanti numinis adyta videre, quàm intrare mauult; iam vero Tholoſatem Corraſium & diuini humanique iuris penitiſſimos receſſus ſagaciſſime rimantem, vel patriæ fatum, vel excelſioris mentis indoles ad forenſium negociorum turbam & ſenatorias curas auocauit: vni omnium contigerat Antonio Goueano, vt vndequaque felicis ingenij raptu Italiæ Gàlliæque ablatam Themidem, proprijs indutam veſtibus, proprijs excultam gẽmis & natiui decoris luce fulgentem, Luſitaniæ ſuæ nunquàm redituram donare poſſet; ſic abſtruſa retegit, ſic ima penetrat, ſic euoluit implicata, tàm tersè explicat, tàm ingeniosè conijcit, tàm feliciter emẽdat, tàm facili breuitate, tàm breui facilitate colligitur, vt iuſtitiæ ſacris

quicumque interſuere cœteri, eos omnes aut reos aut ſupplices exiſtimare iure poſſis, hunc Antiſtitem, hunc miniſtrum; quia tamen genio ſuo quàm poſterorum commodis & propriæ famæ benignius indulget, tamque profuſas & obuias naturæ dotes augere cura, vel arte excolere, aut ingratum aut auarum putat, Iuriſperiti principis mereri faſtigium mauult quam habere; quod ſi Iacobo Cuiacio tam planum & expeditum ad Iuriſprudentiam iter natalis genij benignitas obtuliſſet, pertinaci induſtria, & laboris improbitate fecerat, ne quiſquam magis ante Cuiacium, quàm poſt vllum Cuiacius eſſe poſſet, qui naturæ nouercantis inuidam parſimoniam hac penſauit arte, hac expugnauit induſtria, vt quidquid alijs, pluſquam maternâ prodigentiâ, ſponte natura proiecerat, illud ipſum

Digitized by Google

videri Cuiacius debeat vel extorſiſſe vel emiſſe; maximus hercle vir, omnis diuini humanique iuris Promus & Condus, qui tot monumentis, tam multiplici & abſtruſa Romanæ prudentiæ notitia nimis probat, fruſtra ignauiam imperitiamque noſtram ad naturæ crimen relegari, cui parum refert pauca vel nihil debeas, ſi tibi multa debere velis, quid eſt enim quod diſcere cupias quod ille docere non poſſit? quis ſingula diligentius inquirit & aſſequitur, quis locupletius poſſidet vniuerſa? niſi quod intempeſtiuis amœnitatibus plerumque delinitus, aſperum illum rectumque Iuris callem non quidem omnino deſerit, ſed iam fractus & mollior ad altiora renititur; nã cum Franciſco Duareno velitari quam pugnare malim; aut ſi cum violentis ac barbaris Iuriſprudentię poſſeſſoribus

Digitized by Google

decretoria pugna certandum ſit, hoſtem cum Duareno laceſſas licet, cum cœteris premas: iuuabunt tamen properabuntq; victoriam Connani duo, triumphum inſtruet merito ſuo Viglius Præſes, niſi ſi tamen qua valet arte, qua virtute pollet, & vincere & triumphare volet ſolus. Abſit tamen à me temporum noſtrorum, tam effuſum inconſultumq; eſſe laudatorem, vt veteres Italiæ Iuriſperitos, contumelioſa taciturnitate prætereã, quaſi eorũ libris, & induſtria, in adipiſcenda iuris vtriuſque cognitione, non niſi mediocriter adiuuemur; ego vero ex animi ſenſu, vel pro tribunali, palàm vltroque teſtari auſim, ita de nobis deq; humano genere eſſe meritos, vt illis propè omnibus, ſed vni ſupra cœteros Accurſio naufragæ Iuſtitiæ tabulas quaſque præcipuas, & robuſti Iuris ſolidos fructus, reliquis

elegantiam munditiaſq; debeamus. Aut ſi vnicuique ſuam gloriam & gratulationem, incorrupta fide reddi decet, nec amore cuiuſquam & ſine odio aſſeruerim, à barbarie & captiuitate Gothica, veterũ ope & ſumptibus, redemptam eſſe reuocatamq; iuriſprudentiam, ſed ſquallidam adhuc, & paulò minùs quàm exulem, recentiorũ prudentum ſcriptis ac reſcriptis, quaſi Principali oraculo, patriæ ſuæ natalibuſque reſtitutam; & quamquàm in hoc beatiſſimi ſæculi curſu, tot illuſtratà ſideribus Iuriſprudentia natiua luce eniteſcat, ſi tamen quod abominor Romani monimenta iuris intercidant, ſi Alciati ſcripta, Balduini vigiliæ, Corraſij noctes perierint; ſi Goueani genium, Cuiacij curas, Duareni pompam, Viglij maturitatem, vtriuſque Connani diligentiam fortuna conſumpſerit, viuit

apud Allobrogas, exornatque temporum noſtrorum memoriam, vir poſterorum admiratione digniſſimus, à quo ſi in tanta negociorum actuũq; mole, iam editas aut paratas lucubrationes fata reſpicient, cœterorũ intermiſſa ſtudia, opera intercepta deflebimus quidem, iſtis ſeruatis abſolutiſque tanquã illæſi perfruemur; fateor equidem ad eminentiſſimi Iureconſulti nomen atque decus veteris prudentiæ libros & monimenta ſufficere, totque ab illuſtribus viris vel adinuentum vel obſeruatum eſſe nihil quod non ex Pauli reſponſis, ex Papiniani quæſtionibus, ex Iuliani Digeſtis, & veterum prudentum lectione, vel Principum ſcrinijs mutuari poſſis: verum peſſimo fato accidit, vt ſicuti nepotum decoctorumque prandia & profuſionem mouet parentum labor atque frugalitas: ſic

Digitized by Google

inſcitiam incuriamque noſtram aliena ſollicitudo foueat, dum per nos quærere vel cumulare faſtidioſum eſt, tot iam inſignium virorum curis atque laboribus, ſolidæ Iuriſprudentiæ collectas opes; quibus inconſultis, quamquàm iuſtitiæ nec ſacrificari nec litari poſſe certò ſciam, attamen politioris literaturæ ſapientiæq; fonte deterſis mentibus promptum eſſe nihil ambigo, propria & nihil alteri debitura pietate tanti numinis aditum ita promereri, vt quiſquis in eius delubro, ſacris myſterijſque præſidet, debito potius quàm beneficio imputare debeat, ſic loto expolitoq; ingenio religionis initia tradidiſſe, ea propter in hac toties à vobis expetita Pactorum explicatione, & nomini meo cōſulam & alienæ famæ ſuffragabor, vt qui Romani Iuris penetralia ſine alieno ductu poſſemus ingredi, tā illu-

ſtrium ſacerdotum admiſſionem, nõ ad tutelam ſed pompam, non ad ſubſidium ſed comitatum poſtulemus; quod ſi quid operæ ad interiora Iuſtitiæ myſteria, miniſteriaque contulerint (& verò plurimam conferent) nec eorum titulum contumelioſo ſilentio ſupprimam, nec acceptæ gratiæ meritum impari laudatione delibabo. Sed quia inter confertiſſimos hoſtes & denſiſſimarum diſputationũ cuneos aut alienã vim ferè propulſant, aut propriam inferunt, ipſorum armis atque ſubſidio, tyrocinium veſtrum minus frequenter indigebit, ad exemplum quidem & præcepta ſufficient, vobiſque ſecuris adhuc & in vmbra tantùm pugnandi aſtus artemque diſcentibus ſati erit, tot veteranos inter ictus & pericula eminus intueri: nam etſi prouocare hoſtem & repellere, votum meum ſit, & quid

in inſtituendis dirimendiſq; Iuris vtriuſque controuerſijs, præſtare poſſim vel debeam frequenti ſuperioris anni, vel interpretatione, vel diſputatione probatum puté, quia tamen aſſidua efflagitatione prodidiſtis certum habere vos, aliquid à me nouæ lucis ac breuitatis ad illuſtrandum de Pactis caput erogari poſſe, muneris mei libertatem reſtringam non inuitus, nec illud expendam quid dignitati noſtræ conueniat, ſed quid à vobis expetatur. Et vero nequaquam ſic pacem induam vt bellũ oderim, nec veteri præliandi more per ignauiam, ſed moderationem abſtinebo, etiam inter inducias bello fiet locus, quique in proximo defuerit alibi quæretur & vincetur hoſtis; non abſcedet prçliandi amor, ſed pacis bona, ex temporis vſu, nõ animi voto præferemus, & quia vltro pugnare non licebit, ne

in deſidiam vel timorem moderatio vertat vel pacatiſſimis hoſtibus cõtumeliarũ cauſæ & belli momenta ſuggerentur, aut ſi nos intra vallũ atque munimenta docendi leges ita continebunt, vt arma nec oſtentare liceat nec inferre, votis ſaltem pugnabit animus, & repreſſæ fortitudinis ſpiritum fouebit quies, nec niſi ad nouas maioreſque laureas, tamdiu claudentur Iani fores; quanquam nec his anguſtijs circumſcribitur Pactorũ campus, quin videre hoſtem, & erũpere ſæpius liceat, & inter vmbraticas exercitationes, ad vulnus & ſanguinẽ dimicare; his telis veterum interpretum configenda ſæpe barbaries, earum definitionum vendicanda nouitas, veritas aſſerenda, hoc conatu hac fortitudine veteri quidẽ ſed iniuſta, antiqui nouique Iuris poſſeſſione deturbandus hoſtis, qui vt abſque ignominia

Digitized by Google

ſua nuſquàm ceſſerit, ita nec pelletur incruentus; quia tamen tempeſtiuè, & æqualibus congredi ad fortitudinem ſpectat crudele vero ac inhumanum eſt ex omni hoſte vel occaſione captare prędam, minutarum quęſtionum faciles obuiaſque manubias victrici Iuſtitiæ nec appendere nec dicare lubet, ſed eos tantum interpretes aut ſpoliare aut aggredi, quorũ opulẽta eruditio vel fortuna potius quam virtute commẽdatum nomen, vltionem noſtrã prouocabit: quo in propoſito verendum non eſt, ne vos vnà mecum impetus meus abripiat & periculorum expeditionumque rudes, in veteranorum caſus & diſcrimina, malus Imperator conijciam; ſi quid enim labori meo ſi quid plurium annorum ſtipendijs credi decet, vos Iuridicæ militiæ initiatos, intra Tyronum modeſtiam & emeritorum ſe-

Digitized by Google

curitatem ſic erudiã, vt æqualem hoſtem poſſitis adoriri, validiorem non fugere, & ſi neceſſitas feret, poſito vel vnius tyrocinio in veteranorũ locum nõ iniuſto delectu ſubrogari. quod ſi quis muneri meo nimiam pompam adijci, vel ſpecioſæ pollicitationi plus iactantiæ quam veritatis ineſſe dicet, idẽ ille ſciat & rubori mihi & crimini eſſe, quod tã modica polliceri & præſtare cogar; in eorum ſinu inſtitutus, quibus ne voto quidem parem vel æqualem concipere ſe vel optare auſit quiſquis in iuris vtriuſq; notitia nulli ſecundus eſſe volet; quo propenſius ex tam eminentium virorum tripode ſed auditione tantùm deprompta Iuris oracula, vobis quoque in felicitatis meę partem venturis dictare lubet, vt hoſtimentum erga ſe meum ipſorum manes, vos & gratitudinem noſtram & eorumdem beneficium ſi-

mul approbetis; peſſimo ſidere nati ſunt quibus ſicuti miſellis aut debilitatis infantibus morboſa nutrix, ita Iuriſprudētiæ cunabula ſtatim ingreſſis vitiati anteceſſores obtigerunt; traſit in ſenectutē, ſerpit in poſteros, tenellis adhuc mētibus impreſſus error, & fœdiſſima inſcitia laborare quiſq; mauult, quā præceptoris accuſare crimen, vel fortunæ ſuæ iniuriam profiteri: quod in ſcholis læſit, in foro necat, in tribunalibus infamat, & ſiniſtra malignitate ſortis, ſicut alienæ imperitiæ noxam luis, ſic alij tuæ: putum purumque eſt, è Iuriſprudentiæ theſauris legitimiſque Quæſtoribus quidquid hauſimus, iuuit in ſcholis, profuit in ſubſellijs, ornauit in iudicando, neque ambigo quin pari fide, quamquam longè minus eruditè vobis traditum in paribus quoq; rerum argumentis prodeſſe poſſit. Neque vero

veto aliter docere me, aut vos doceri conuenit in ea Prouincia, quę optimo clementiſſimoque nuper orbata patre, æterno luctu iuſtitioque ſordeſceret, niſi ex Sereniſſimi Succeſſoris & filij pietate atque Iuſtitia, & orbitatis ſolatia peteret, & ſecuritatis æternę fiduciam. Macte hiſce virtutibus Sereniſſime CAROLE DVX, quibus cum ſolis, hominum officia fungi, & munia Principis implere potes; cum enim ſupra homines tua te fortuna conſtituat, cum ab ijs diligi & coli debeas, tu colere neminem; vna erga Deum pietas eſt, qua hominem eſſe te probare poſſis; vna erga homines Iuſtitia qua Principis partibus fungi; adeò in ipſo ſtatim beatiſſimi Principatus ortu, cũ nobis ipſis quid optemus amplius non ſuppetat, ad aliena commoda vota noſtra dirigamus, paremque cœteris

Prouincijs cum Lotharingia depre-cemur ſtatum, in qua Principis pietas Deum colit, & Iuſtitia ſubditos ſer-uat: fœlices ergo bonos, quorum eſt ſecura virtus; fœlices malos, quorum non trepidaret improbitas, niſi ad meliora tranſitura; fœlices omnes, imo & meipſum, cui contigit tam pio iuſtoque ſub Principe, iuris & Iuſti-tiæ myſteria enunciare.

Digitized by Google